



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Deo Vno, & Trino


**Vindalium, 1646**

Cap. VIII. De æqualitate, & missione Personarum & diuinarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38742**

310. TRACTATUS  
ductus, sit Deus, ergo Deitas est terminus earum formalis. Non sequitur, quia non ad hoc tendunt, ut earum terminus sit Deus per productionem diuinitatis, sed tantum per illius communicationem.

Dices 2. generatio uniuoca, qualis est diuina, terminari debet ad formam in qua producat, & productum assimilantur. Distinguo: Debet ad eam terminari, siue ut productio, siue ut communicatio.



### CAPVT VIII.

*De aequalitate, & missione Personarum diuinarum.*

### CONCLUSIO I.

**I**Nter personas diuinas est perfecta aequalitas.) Est de fide, ut colligitur ex Symbolo Athanasij: ubi statuitur tres personas coaeternas sibi esse, & coaequales, & in cap. firm. de summa Trinitate, habetur personas esse coaequales, coomnipotentes, & coaeternas. Ratio autem est, quia ibi est summa aequalitas perfectioris, ubi eadem essentia infinite perfecta reperitur; atqui eadem essentia infinite

DE TRINITATE. CAP. VIII. 311

perfecta est in tribus personis, ergo; tres personæ diuinæ sunt inter se summè æquales, quoad perfectionem. Suadetur minor 1. ex verbis illis Ioan. 10. Ego & Pater vnum sumus, quæ à sanctis Patribus vniuersaliter intelliguntur de vnitæte quoad essentiam, seu substantiam diuinam, non autem de sola vnitæte, seu concordia voluntatis, vt putabant Arriani. Verum quia in verbis prædictis non agitur expressè de Spiritu sancto, addendum est illud ex 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt: hinc enim ex Patrum omnium sententia, efficax sumitur argumentum ad probandam diuinitatem, & consubstantialitatem Spiritus sancti.

Probatur eadem minor ex quinta Synodo generali, collatione 8. can. 1. his verbis. Si quis non confiteretur Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnam naturam siue substantiam, & vnam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, vnam Deitatem in tribus subsistentiis, siue personis adorandam, talis anathema sit. Similia habentur in Concil. Tolet. 6. Canone 1. & in sanctis Patribus quorum verba, breuitatis causa, prætereo. Cum itaque tres personæ Trinitatis ha-

beant eandem diuinam essentiam infinitè perfectam, conlequens est summam perfectionis æqualitatem inter illas reperiri.

Non 1. generatim ea omnia loca Scripturæ quæ inferioritatem aliquam Filio tribuere videntur, vt plurimum intelligi de Filio secundum humanitatem: si quæ verò interdum à Patribus intelliguntur de Filio, vt est Deus, ea nihil aliud significare, quàm Filium habere à Patre substantiam diuinam, & virtutem operandi, Patrem autem à seipso, sicque Patrem esse superiorem seu maiorem Filio, quatenus est prior origine, & principium illius.

Nota 2. ibi non esse omnimodam æqualitatem, vbi est prius & posterius quoad durationem, aut quoad naturam, talem autem prioritatem non habere locum in Deo sed solam prioritatem originis, quæ cum tantum dicat vnam personam esse ab alia, nullam arguit imperfectionem: sicut enim est infinitæ perfectionis, esse principium processionis diuinæ, ita & esse terminum illius.

„ Si quæras, quomodo intelligi possit, personam producentem non esse priorem producta, quoad durationem, vel naturam. Respondeo hoc ea ratione posse intelligi,

intelligi, quia cum persona diuina habeat ab æterno totam vim producendi, & necessariò producat, nihil impedire potuit, quin persona producta, esset ab æterno. Cumque communicet eandem naturam improductam, & independentem quam habet, hoc fit sine prioritate naturæ, quæ veram dependentiam, & causalitatem dicere solet. Vnde qui ponunt inter personas diuinas ordinem naturæ, explicandi sunt de ordine originis; qui ordo naturæ dicitur, quia in natura rei fundatus est, seu quia vna persona naturaliter est ab alia.

„ Dices, vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem, prius dici non potest, quia quòd existit, non indiget vt producat, cum non producat, nisi vt existat: posterius ergo verum est, ac proinde Filius non est æqualis Patri, quoad durationem. Respondeo Filium existentem gigni, non quidem ita vt existat antequam generetur, sed ita vt per ipsam generationem existat: ad eum modum quo lumen producitur existens, vi ipsius illuminationis qua producitur. Quod si istes, Filium non extitisse, antequam generaretur, atque adeò nõ semper fuisse; neganda erit consequentia, quia Filius semper genitus est, ac proinde Deo.

O

de semper extitit.

Nota 3. inclusionem illam, quæ communiter vocatur circumincessio, esse impropriam, adeoque nihil ex ea concludi contra æqualitatem personarum. In eo enim maximè consistit, quòd personæ diuinæ vnica, & eandem habeant essentiam, ac proinde quælibet debeat esse in aliis, cum nulla à sua essentia possit separari. Hinc autem potius sequitur oppositum, nam si ideò Filius est minor Patre, quia est in illo; vicissim Pater est minor Filio, cum in illo sit, vnde per reciprocum hunc excessum, perfectiones Patris, & Filij ita temperantur, vt ad summam æqualitatem perueniant; quòd similiter de perfectionibus Spiritus sancti dicendum est.

**CONCLUSIO II.** Missio conuenit personis diuinis, non tamen omnibus. Prima pars est de fide, vt patet ex Scriptura, Ioan. 3. Misit Deus Filiū suū, & 15. Cum venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre. Eadem probatur ratione, quia permissionem hinc intelligitur æterna processio Personæ diuinæ, cū habitudine ad effectum temporalem, siue visibilem, siue inuisibilem. At Filius, & Spiritus sanctus à Patre ab æterno processerunt, & in tempore extra eum

DE TRINITATE. CAP. VIII. 215

veluti exierunt, ad externam manifestationem, vel collationem alicuius doni creati; quare ab eo missi sunt.

Dices, mitti ab alio dicere imperfectionem in persona missa. Respondeo, hoc verum esse, de missione quæ fit per imperium, vt cum seruus mittitur à Domino suo; vel per consilium, vt cum Rex à suis Consiliariis mittitur in bellum. Sic autem non fit missio personarum diuinarum, sed tantum per originem, cum ordine ad quendam effectum temporalem, in quo nulla est imperfectio.

Secunda pars ex dictis colligitur, nam cum missio includat originem personæ missæ à mittente, consequens est vnâ personam propriè non posse mitti, nisi ab ea à qua procedit: vnde Pater potest mittere Filium, & Spiritum sanctum, ipse verò à nemine mitti potest, quia à nullo procedit. Neque refert illud Isa. 48. de Christo intellectum, & nunc Dominus misit me, & Spiritus eius, ea enim verba, si loquuntur de propria missione, debent intelligi de missione Christi, ratione humanitatis.

CONCLUSIO III. Missio duplex est, visibilis, & inuisibilis. Declaratur, nam tunc contingit missio visibilis, quando persona missa per fi-

gnum aliquod sensibile nouo modo exteriorius apparet: eiusmodi fuit missio Verbi, quando humanitatem assumpsit, & missio Spiritus sancti quando in specie columbæ, & in linguis igneis apparuit: Missio autem inuisibilis habet locum, quando persona mittitur ad dandum effectum aliquem occultum ordinis supernaturalis, qualis est gratia sanctificans.

Quo loco aduerte 1. in missione inuisibili, non tantum dona gratiæ, sed personas etiam ipsas mitti, vt patet ex Scriptura, quæ propriè intelligenda est, cum nihil huic sensui repugnet. Confirmatur, quia rei missæ tribuuntur effectus varij, Ioan. 14. & 15. qui non possunt oriri ab ipsis donis creatis, sed à persona diuina dantaxat, vt docere, suggerere, testimonium perhibere, & similia. Neque refert quòd Spiritus sanctus non incipiat esse de nouo in anima quæ iustificatur, sufficit enim quòd si per impossibile in ea non esset, per suam realem præsentiam, in puncto iustificationis ei se realiter præsentem exhiberet.

Aduerte 2. missionem inuisibilem fieri ad omnes participes gratiæ, vt pa-



DE TRINITATE. CAP. VIII. 317  
Ter ex dictis, vnde ad Christum facta est  
inuisibilis missio, in principio suæ con-  
ceptionis, non autem postea, eò quod  
in eo instanti fuit repletus græcia, quæ  
nunquam deinceps aucta fuit; missio  
autem visibilis Spiritus sancti ad Chri-  
stum in Iordane, non fuit signum inui-  
sibilis tunc factæ, sed aliàs in puncto  
Incarnationis. Fit etiam missio inuisi-  
bilis ad omnes beatos, tum in ipso  
initio beatitudinis, quando ad perfectis-  
simam summi boni possessionem, quæ  
arctissimam Spiritus sancti præsentiam,  
& cum illo vnionem comprehendit, e-  
uehantur, Tum postea quando aliqua  
mysteria illis de nouo reuelantur. Cæ-  
terum missio inuisibilis non habebit lo-  
cum in beatis, post diem iudicij; quia  
tunc eorum cognitio nullum augmen-  
tum recipiet, sed per totam æternitatem  
inuariata manebit.

Tandem missio inuisibilis facta est  
ad Patres veteris testamenti, cum gra-  
tiam sanctificantem, & eximiam charita-  
tem acceperint, vt satis patet ex Scrip-  
tura. Fit etiam quotidie ad omnes ho-  
mines, qui de nouo iustificantur; imò  
& probabiliter, ad eos qui augmentum  
gratiæ recipiunt, saltem quando hoc

318 TRACT. DE TRINIT. CAP. VIII.  
augmentum tale est, vt quis proficiat  
in nouum aliquem actum, vel statum  
gratiæ, vt si ad gratiam miraculorum,  
vel Prophetiæ euehatur, aut si ex feruo-  
re charitatis exponat se martyrio. Verum  
hæc de missione tam visibili, quàm in-  
uisibili generatim dicta sufficiant; nam  
quod spectat ad præstantissimam diuini  
Verbi visibilem missionem, quæ non ad  
repræsentandum instituta est, sicut visi-  
bilis missio Spiritus sancti, sed ad substi-  
tendum in natura humana, de ea specia-  
tim; in altera huius libri parte, dein-  
ceps agendum erit.

